

Finchovcz aliter Breztovicza, Goztovincz, Revcese, Kolarczy, Lukachovcz, Bogachevina aliter Sipovczy, Mrazovcz et Vincza, consequenterque prae-notatarum portionum Possessionariorum et Curiarum Nobilitarium in eisdem habitarum, nec non portionis promonthorialis Velika Obres, in antelato Comitatu Crisiensi existentibus et habitarum, accedendo introduxisset prae-notatos Mathiam Voynovechky aliter Zakach in Voynovczy, Joannem Flyok de Hisanovcz, Stephanum Golecz in praefata Hisanovcz, Martinum Plavecz, Joannem Kesser in Zaiztovcz (nam memoratus Martinus Plavecz et Michael Striga se in Zaiztovcz nihil habere prout et Ladislaus Ztanek in Revcese sunt fassi coram Nobis, in Donatione enim per errorem Scribae in iisdem Possessionibus essent nominati), Martinum Plavecz de Ugrinovcz in Popovcz aliter Ugrinovcz, Paulum Golecz de Finchevz in eadem Finchevz aliter Breztovicza, Martinum Chernchich de Goztovincz, Ladislaum Ztanek in praedicta Goztovincz, praefatum Martinum Chernchich in Revcese, Lucam Koos in Kolarczy, Petrum Janschak in Lukachovcz, Joannem Guzar, Petrum Zerblinovich, Andream Jussak in Bogachevina aliter Sipovcz, Joannem Mrazovich, Georgium Koritich, in Mrazovcz, Paulum Dolecz, Michaellem Nemezc in Finchovcz, Vinca et Breztovicza, uxoresque et fratres Congenerationales et Condivisionales ipsorum pro rata unius cuiuscunque portione in Dominium earundem dictique juris Regii in eisdem habiti statuisset easdem, et idem eisdem ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibilibet praemissae Novae Donationis et Juris Regii titulis ipsis incumbentibus, perpetuo possidenda, nullo prorsus Contradictore tunc inibi apparente, legitimis et continuis tribus diebus ipsis Banali et nostro hominibus inibi permanentibus et moram continuam protrahentibus. Verum infra revolutionem sedecim dierum, Sabatho videlicet proximo ante Dominicam Reminiscere proxime praeterito, Nobilis Sigismundus Domjanich in persona Egregii Sebastiani Suppanich, quoad portionem eiusdem ubicunque in praeallegitis Bonis habitam, item feria sexta proxima ante Dominicam Oculi proxime praeteritam Egregius Franciscus Modossoczy, Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis, in personis Generosae Dominae Christinae Fohnogyevich, Consortis suae, filiae vero Generosae quondam Dominae Annae Bosak et Mathiae Levachich, Michaelis Arras totiusque familiae Bosak, quoad Bona ipsorum in praefata Possessione Kobiline, quae antelatus Michael Chochak ab eisdem protestante titulo pignoris possideret; deinde feria quarta proxima post praetactam Dominicam Oculi proxime praeteritam Nobilis Nicolaus Zenko in persona Nobilis Dominae Ursulae Skropilovich aliter Nagy, Consortis Nobilis Georgii Kasnar, quoad portionem suam in praefata Kolarcz, nostram venientes in praesentiam, praemissae Introductioni et Statutioni Contradictionis velamine obviarunt, eamque inhibuerunt. Ob quam quidem Contradictoriam Inhibitionem Nos diebus suprascriptis antelatos Sebastianum Suppanich medio dicti Sigismundi Domjanich, Christinam Fohnogyevich, Mathiam Levachich, Michaellem Arras totamque familiam Bosak medio praefati Francisci Modosoczy, et Ursulam Skropylovich aliter Nagy medio praefati Nicolai Zenko evocavimus contra annotatas personas in sedem Banalem, Vestrae scilicet Spectabilis ac Magnificae Dominationis in praesentiam, ad decimum quintum diem diei huiusmodi Evocationis, rationem Contradictionis eorum reddituros efficacem. Et sic Nos eiusmodi Nostrae Executionis seriem simul cum Contradictorum et Evocatorum vicinorum